

tum est naturas rerum manifestas indicare, non causas indagare dubias.

III (4). Insecta, ut intellegi possit, non uidentur 9
habere neruos nec ossa nec spinas nec cartilaginem
nec pingua nec carnes, ne crustam quidem fragilem
ut quaedam marina, nec quae iure dicatur cutis, sed
mediae cuiusdam inter omnia haec naturae corpus,
arenti simile, *in alio* mollius, *in reliquis partibus*
tutius uere quam durius. Et hoc solum iis est, nec
praeterea aliud; nihil intus nisi admodum paucis
intestinum implicatum. Itaque diuolsis praecipua 10
uiuacitas et partium singularum palpitatio, quia,
quaecumque est ratio uitalis illa, non certis inest
membris, sed toto in corpore, minime tamen capite,
solumque non mouetur nisi cum pectore auolsum.
In nullo genere plures sunt pedes, et quibus ex his
plurimi, diutius uiuunt diuulsa, ut in scolopendris
uidemus. Habent autem oculos praeterque *⟨e⟩* sen-
sibus tactum atque gustatum, aliqua et odoratum,
pauca et auditum.

IV (5). Sed inter omnia ea principatus apibus et iure 11
praecipua admiratio, solis ex eo genere hominum
causa genitis. Mella contrahunt sucumque dulcissi-
mum atque subtilissimum ac saluberrimum, fauos
configunt et ceras mille ad usus uitae, laborem
tolerant, opera conficiunt, rem p*⟨ublicam⟩* habent,